



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm VII. Ad hæc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

bent, c. relato, 9. & seqq. causa 10. q. 1. Sin tamen causa postulet, bis visitare potest, sicuti de Episcopo habetur in c. cum venerabili, 2. i. iun. Gl. ver. bis in anno, imò quoties ipsi videbitur, secundum Trident. sess. 6. c. 4. de reformat. Videri potest Azor tom. 2. lib. 3. c. 40.

CAPITVLVM VII.

Ad hæc.

AD officium Archidiaconi (secundum Ecclesie Romanæ consuetudinem) pertinet Leuitijs, & hypodiaconis imperare; curam parochiarum gerere; aded, vt & Archipresbyteri, qui & Decani appellantur, eius iurisdictioni subsint. Sed ardua, seu maiora negotia ad maiorem se, videl. Episcopum referre debet. Sed & Clericorum ordinandorum examinatio, atque institutio ad eundem Archidiaconum spectat; ita tamen, vt prius Episcopo præsententur, ab eoque approbentur.

Idemque dicendum de Decanis ruralibus, ab Archidiacono instituendos, amouendosque esse; sed non sine Episcopi consensu. Nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: Decani autem illi rurales subsunt tum Archidiacono, tum etiam Episcopo: Ergo eorum institutio, & destitutio ad vtrumque pertinere debet.

Hoc est præcipuum huius tit. c. Sed quia eius materia satis explicata est, c. 1. 4. & 5. hic nihil adijcio. Legi potest c. 1. d. 24. & c. Legimus, 24. d. 93.

CAPITVLVM VIII.

Significasti.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus sine consensu Episcopi literas dimissorias dare non potest. Sed neque Clerici freti talibus literis absque Episcopi licentia datis ordines accipere possunt; alioquin ab executione ordinum

prohiberi possunt. Ratio responsi est: quia per literas dimissorias derogatur iuri Episcopali, quod habet ad ordinandos Clericos sibi subiectos: Ergo præter eius consensum dimissoriæ dari non possunt. Quæ ipsa causa est, cur vacante Sede, Capitulum dimissorias concedere non possit. Quia iura Episcopalia successoris reseruare debet.

SUMMARIVM.

Dimissoria sine consensu Episcopi ab Archidiacono vel Vicario Generali data, pro non datis haberi debent.

NOTANDVM Vn. Si dimissoriæ sine consensu Episcopi ab Archidiacono, vel Vicario Generali datae sint, pro non datis haberi debent: ita vt pœnæ & inhabilitates incurrantur, de quibus dixi in c. 2. de temp. Ordinat. & in 6. Vtrum verò in absentia Episcopi Archidiaconus dimissorias dare possit, ex consuetudine cuiusque Ecclesie petendum est, vt Gl. hic notat ver. literas. Vide quæ dicta sunt in c. 3. de tempore ordinat. in 6.

CAPITVLVM IX.

Vt nostrum.

Spectato communi iure, ad Archidiaconum pertinet, ad Ordines promouendos examinare, & Episcopo præsentare; Abbates, & Abbatissas instituere.

Intellige hæc cum dependentia ab Episcopo: Quia is curam Ecclesiarum sibi à sacris canonibus & Sede Apostolica commissam à se deponere nec debet, nec potest, vt dixi supra c. cum satis, 4. hoc tit.

CAPITVLVM VI.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus Senonensis querelam detulit ad Honorium III. contra Abbatem.

Cccc &